



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

6. Hæmorrhøissa à medicis desperata ad Christum confugiens sanatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

boli opem anhelant, sicut in prouerbio dicitur: *Bos alienus subinde foras prospectat.*

Non sic fecit mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur, duodecim annis; quæ, ut Marcus, signatissimè addit, fuerat multa perperosa à compluribus Medicis: & erogauerat omnia sua, nec quidquam profecerat, sed magis deterius habebat. Atque, ut Lucas ait, quæ in medicos erogauerat omnem substantiam suam, nec ab ullo potuit curari. Quid ergo à medicis desperata fecit? Credidit, Christum etiam in occipitio oculos habere: quare, non in faciem progressa, ut videretur, sed accessit retro, & tetigit simbriam vestimenti eius. Dicebat enim intra se: *Si tetigero tantum vestimentum eius, salua ero.* Obseruat S. Augustinus, non omnes, qui sequuntur Christum, & eum tangunt, verè tangere, sed potiùs comprimere: illos verè tangere, qui fide ad Christum accedunt. *Fide tangitur Christus*, ait S. Ambrosius. Hoc ergo fecit mulier, quam idem D. Ambrosius alibi Martham Lazari sororem fuisse opinatur; at Eusebius, & Sozomenus, probabilius scribunt, ciuem fuisse Cæsareæ Philippi, quæ postea Saluatori suo statuam, ante ædes, posuerit æternum accepti beneficii monumentum. Quid ergo huic mulieri, quæ à nullo medico potuit curari, fecit Christus? *Conuersus, & iam etiam corporeis oculis videns eam, dixit: Conside filia, fides tua te saluam fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora.* Sic curat Christus, quos nemo potest curare, immò, qui multa perpetiuntur à compluribus medicis, & erogauerunt omnia sua, nec quidquam profecerunt, sed magis deterius habebant.

Et fieret hoc frequentius, si mulierem hanc plures imitarentur, ac, saltem, postquam satis experti sunt, in filijs hominum non esse salutem, ad Deum confugerent; aut, si, more huius mulieris, siue humilitate, siue pudore, non audent ipsum Christum compellare, vel retro accederent, & simbriam vestimenti eius tangere; hoc est, illius, vel Sanctorum reliquias venerarentur, de quibus, non minùs, quàm olim, sæpe etiam hodie virtus sanitatis exit, ut, ubi medicæ manus deficiunt, in cælo adhuc auxilium esse sciatur. Qua de causâ Catholici semper reliquias magni fecere, quas hæretici, qui nec sanctos, nec sancta amant, peiù cane & angue oderunt. Calvinus certè mulierem hanc, *indiscreto zelo*, ait, Christi simbriam tetigisse, & aliquid in ea fuisse *superstitionis*. Addit, quamuis tactu simbriæ sit sanata, factum tamen fuisse singu-

N lare,

Plutarh. in Symp. de. cad. 8.

V I.

Matth 9. 20.

Marc. 5. 26.

Luc. 8. 43.

S. Ambros. lib. 6. in Luc.

S. Ambros. lib. de Salomone, c. 7.

V II.